Opuscula

UNIO
Virtutis & Sapientiæ,
IN
PROBATO BINIONE.
VENERABILIUM ac ERUDITORUM DOMINORUM,
D. GEORGIJ MARIA, de MELIORUTIJS.
&
D. MICHAELIS ZALESKI,
CRACOV:
IN ARTIBUS & PHILOSOPHIA LICENTIATORUM.
dum
in Alma Universitate Cracoviensi,
PER
CLARISSIMUM & ADMODUM REVERENDUM DOMINUM;
D. M. SIMONEM JOSEPHUM WROBLINSKI,
Philosophiæ Doctorem, ejusdemq; Tratnovianum & Ordinarium in Collegio Majori Astrologiæ Professorem, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Canonicum,
In Peraugusto DD. Theologorum Lectorio, Præsente Magnorum Hospitum Corona, ritu solenni,
Artium Magistri & Philosophiæ Doctores
CREARENTUR.
LAUREATA
& à
M. ÆGIDIO STEPHANO WADOWSKI,
AA. LL. & Philosophiæ in Eadem Universitate Doctore & Professore,
in vim gratulatorij plausus,
DEMONSTRATA.
Anno, quò Divinæ Naturæ cum humana Unio facta est. M. DCCV. die verò XXII. Febr.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

Programma
BEATVS JOANNES CANTIVS,



Anagramma.

Sate canas, en binio tuus,

Epigramma

Reſpice, Noſq; *canas*, Cæleſtis Tu *Sate* Doctor,
Sternitur *en* pedibus, *Binio* corde *Tuus*.

Anagramma.

Tu ſine, ac bea tuos annis.

Epigramma.

Tu ſine, longævis Nos ferri nominis, *Annis*,
Muneris atq; *Tuos* flore, *bea* potiùs.

Anagramma.

Unio ſis ſanè, cantu beat.

Epigramma.

Unio ſis ſanè meliùs jam mente beata,
Cantu, corde piam, Cantius ipſe *beat*.

ORBIS LECHICI PATRONO,
Jagellonicæ Vniversitatis MAGNO PATRIARCHÆ,
B. JOANNI CANTIO,
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI & PROFESSORI,
Carmen Dedicatorium.

SCeptrorum sublime decus, Gentisq; Togatæ
Gloria: subsidium, superis contermina Virtus.
Linque Polos CANTI, Musam Tibi Vota canentem,
Hìc audi: Nostros visu soleris Honores.
Esto precor gratus, cum dat Tibi gratia nomen,
Binio, quam sumit, meliùs Tu protege famam:
Qui Sceptris fulges, Doctor clarissimus Orbi.
Prostrati Tibi, quot semper sunt! corde triumphant;
Munera testantur, fulgentia Vota ferendo;
Tantùm laudis habent, quantùm Tua dextera portat.
Poscant hic alij Regum sua lumina chartis,
Numinibus placidus, Tu cordi maximus extas.
Signent Stemmatibûs Fastos, illosq; repandant;
Tu Nobis famam claram Tua Imagine pandes.
Ergo DIVE PATER, Stator, Patriarchaq; Noster,
Suscipe corde Tuo; certantes pectore dextro.
En, en, ungve valens LEO, necnon vertice firmus
Uncornis (quorum species fert pagina versa:)
In luco sacro crescentes hoc Academi.
Accurrunt citiùs, jam post certamina docta:
Ad Te; quì nemoris Præses Custosq; vocaris.
Et quamvis timeat flammas LEO, non tamen illi,
A splendore sacro, veniens timor, occupat artus,
Gratiùs ille coronatus Tua lumina poscit:
Et fera pro telo, cûi magnum vertice cornu,
Stat medicina, modò multis lanquentibus; inde
Ut valeat meliùs, Tibi sese sternit ad Aras.
Unio Tu præstans, Nostræ PATER Alme coronæ.
Sistens respicias junctas mentes, & honores;
Effice. Longævus vivat Tibi. Binio quæso.

In Stemma
D. NEODOCTORIS.

Leo supra  cujus caput

tria lilia.

Lemma: Hac

ego contẽ- tus. *Ovid.*

Epigramma.

I.

GRatiùs è meritis capiens Virturis honores,
Floribus eminuit, fronte decusq; Tuum.
Forsitan hos ideo, Pallas dilexit odores,
Lilia: quod medium delicium maneas;
Dotibus ergo Tuis, dum sumis laurea serta,
Flores doctrinæ, Symbola pulchra Tuæ.

II.

EXsuperare viros Te tollunt Stemmata, laude;
Quid valeas animo, porrigit ipse LEO.
Designat potiùs, quantus sis mente GEORGI;
Tullius ac fortis, quòd maneasq; Sophus.
Ergo ad sublimes, his signis, perge decores,
Prospera percipiens, I decus inde Tuis.

In Stemma.
V. D. NEODOCTORIS.



Unicornis sursum, dugulis stans

tendens abus unin aquis.

Lemma: Stat vertice robur. *Virgil.*

Epigramma.

I.

INgenij dotes maneant, ut flumine vasto,
Hoc animal monstrat, dum bene jactat aquis.
Gloria, quòd docti toto fundetur in Orbe,
Suadaq; ZALESKI, profluit ore Tuo.
At sursum tendens, ornando signa laboris,
Altius ad munus, pandit honoris iter.

II.

SUmma mente Virum, signat medicabile cornu,
Omine præcelsos, scandere mente Polos.
Quòd Cælis placidè prosemper nomine claro,
Floreat eximiè, lumine digna domus.
Ergo his emineas, I felix auspice cornu,
Quo Tua Te placidum, munera sponte vocant.

U N I O
IN BINIONE.

AGe nunc & aude Scriptor Calame!
Gemmeos, si qua arte potes, funde characteres,
Virtutis & Sapientiæ Unionem,
In probato Binione laureatam,
testibus chartis, inscribe,
nam:
Si honor virtuti semper laurusq; debetur,
Sapientiæ unitæ vel maximè.
Magnanima hæc Deorum proles, ac insigne decus
Virorum, ipsô ortum nacta Olympô Divinior redditur,
Cùm Divino progenitæ vertice, Palladi Deæ, sociatur:
hac Vnione fortior,
illius cumulô cumulatior.
Sat se ipso dives adamas, auro inclusus pulchrior nitet,
Marita vitis uberiùs floret & parturit.
Coccineus aut roseus color, cum cerussa gratior.
Pyrrhi annulus pulcher ideò;
quia Musarum speciem tenet.
Captivum virtuti in triumphum dare animum,
laus maxima.
at si sepiâ tingitur, fit clarissima.
quare:
ille mihi Pompeius, qui virtute & Sapientiâ magnus,
ille Cæsar, qui ex utroq; gloriosus.
Hic altior Gigas, qui à calamo quoq; staturam querit:
Lucius est, qui virtuosos splendores Palladiæ admovet lucernæ,
Flamminius dicendus, qui probitatis flammas,
oleô Sapientiæ nutrit.
Ac erudito probum unit lumini, lumen.
Pulchro ligari fœdere, Pallas & probitas gestiunt;
langvetq; sine tali socia; virtus.
Virtutis & Sapientiæ Vnionem hanc, meliùs venerari nequeo;
quàm

quàm in BINIONE Vestro.
Venerabiles ac Eruditi Domini,
Nobile par Neo-Doctorum.
Qui, adeò hæc gemina sidera in Vobis unita, fecistis;
ut virtutem qui vestram videat,
Sapientiam putet,
ac pro Sapientia virtutem miretur.
His pares, solo dispares nomine.
Junge nomina, totos junxeris.
Eadem frons, eadem virtus, eadem activitas,
idem clarissimus sangvis, etsi non germanus;
adeò;
ut dici possit, generosum vestrum animum
uno non contentum corpore, gemina implevisse,
aut unum, bis natum esse
corde & animô semel vobis uniti,
etiam honore disjungi noluistis.
Cujus unionis insignis pars, Tu imprimis occurris
Venerabilis ac Erudite Domine,
D. GEORGI MARIA de MELIORUTIJS,
extra cognomen optime.
eximijs moribus gravior, quàm Annîs,
qualis quantusve sis, docuisti antequam esses,
senilem virtutem ac rugosum animum
in fronte tenera dari ostendisti:
Illâ ac Leone Gentilitio fortis.
Leo hic, in florentissimo Italiæ Ducatu,
eò pulchrior, quò vetustior, patriô solô
excessit, cum Magno PARENTE Tuo,
Nobili ac Spectabili Domino,
D. DOMINICO MARIA MELIORUCI,
Consule Cracoviensi;
ut in Principe Urbium Cracovia staret,
& in apertis illius Ostijs:

Custos, non clausis oculis vigilaret,
consilio, non rugitu, in Craci Senatu valens.
Tantumne? etiam cum Patruo Tuo,
PETRO MARIA MELIORVCI,
in Angliæ Regno, olim Angelorum Colonia, cõsedit.
inter bonos primus,
inter primos optimus.
Sic tamen Florentiâ excessit, ut ibidem etiam spectetur,
in altero Patruo Tuo,
Viro Clarissimo BENEDICTO MARIA
MELIORVCI, Canonico,
qui in Alma Universitate Pisana,
& Musarum & Animorum RECTOR,
Omnes vincere, Sapientiâ novit,
seipsum modestiâ.
Leonis hujus ingentia decora, exiguâ paginâ, coarctare nolo,
cùm fastis sit major.
Certumq; est, Leones justa spatia poscere, ut se moveant.
Sat laudis Tuus nactus, quòd digne laudari nequeat.
Corpora magnanimo, satis prostrasse Leoni.
Ab alijs ex ungve noscantur Leones,
Tui magnanimitas, ex Te ipso apparet,
Venerab: Domine Neo-Doctor,
qui ad Lechicæ Palladis nidum, in prima Urbe hac, nat⁹,
nemini dotibus magnis secundus.
videat Orbis intra Gentilitias Urbis hujus Turres,
etiam sublimia nasci,
nihilq; ab ostiis earum procedere, quod humile sit.
Brevi tandem, Bonarum Artium avidus,
malarum nunquam capax.
Cracidas Musas sic devinxisti;
ut in Tuo capite veluti in Parnassi vertice consederint.
Inter coætaneos atthletas, gloriosior eminebas,
virtutis seniô.
Nihil leve in Te gerens, præter corpus.
Cujus species digna imperiô,

A Mu-

A Musis Novodvorscianis, in publicam Philosophorum
arenam descendens,
Nihil eujusmodi egisti, quod publicum eruditorum
non mereretur, plausum.
Sæpe doctum Sophum, sæpiùs facundum Demosthenem,
nunquam non virtuosum
omnibus Te monstrâsti.
GEORGIJ portans Nomen,
quidquid fecisti heroicum erat.
Procul exemptus ab ijs,
qui superbo Nominum se attollunt fastu
vix per ima repere gnari,
Pretiosis Nominibus, rubigine vitæ,
pretium adimunt virtuti.
Arena Philosophica, sudore Tuo madida,
fertilis in laurearum messem pullulavit:
ut esset, quo virtus Tua hodie coronetur.
Et ne amore conjunctos, unum in Binione Cor,
Encomiastæ calamo diuidere videar,
ad Te converto stylum,
Venerabilis ac Erudite Domine,
MICHAEL ZALESKI,
quidquid de primo, dixi etiam Tuum erat,
cum & ille totus Tuus est,
ab illo dispari laude non ornandus,
qui nihil dispar animo tenes.
pulcherrimum à majoribus Tuis ortum nactus,
magnæ capax eruditionis ingeniũ, in ruditatis caligine,
squallere non permisisti,
imò:
ut illustrior appareres; umbras Academi petijsti:
ad quas commorans,
nihil umbratile capiebas;

Ingenuas artes ingeniô excipiens,
Virtutem Sapientiæ uniendo.
Addit Tibi non postremam gloriæ portionem,
etiam inter mortalitatis umbras famâ illustris,
Cui sepulchralibus Saxis,
virtus absq; chalybe scintillas excutit, ut lucem augeat,
Nobilis ac spectabilis olim
SIGISMVNDVS ZALESKI,
Metropolis hujus Consul meritissimus,
GENITOR Tuus carissimus,
Senatus Cracij alter Cato,
ad astra raptus,
qui vel ideò diutiùs vivere noluit,
cùm se etiam mortuum in vobis filijs victurum scivit,
& Vos Atlantes, Urbis hujus succrescentes videns,
ipse ad sepulchrum decrevit.
Cujus Tu mortui vivam imaginem referens;
splendores paternos majores facis.
Hoc nimirum *est generosi animi ornamentum,*
non minorem esse majoribus,
nec curare quàm illustres habueris avos,
sed quàm & ipse non obscurus sis nepos.
Inter Parnassi colles altior ipse visus.
Dulces Hippocrenes Vndas ore absorbebas.
Mox totus illis immersus, ad altiora accendebaris.
In certamine Philosophico fortissimus,
re & nomine MICHAEL, nunquam non Victor evasisti;
Encomiorum palmîs, quas, omnes porrexerunt,
coronatus.
Multa sapiens, hoc unum ignorâsti,
scilicet te aliquid scire, monstrare.
Magnum potiùs esse, quàm videri præferens.
Re

Re ipſa exiles, ut grandiores appareant,
laudationis ventô, ſe ac ora inflare ſolent.
Tu eò demiſſior, quò ſublimior,
modeſtiæ Umbris, mentis ſplendores contegis.
Sic levis pluma citiùs in altum ſurgit, quàm gemma.
vacua ariſta, verticem attollit, gravis fructu non item
Coloſſus quò altior eò majorem umbram ſui proijcit.
verbô talis es.
Ut modeſtiam Apelles, ſi iterum pingere vellet,
ex Te optimè poſſet.
Hæc merita, has virtutes in Binione Veſtro
Unitas cum Sapientia,
Jagellonica Pallas in vobis coronat laurêis;
ut ſic inumbrati faciliùs exoticos Soles intueamini;
quomodô caleant; potiùs quid calleant experiamini.
Quærite alium Orbem, cùm Vos hic non capiat,
ubiq; plauſum habituri.
Invidebũt Exteri, tales ſub gelido Septẽtrionis climate,
naſci ſurculos, ex quibus fieri poſſunt
Apollines aut Mercurij.
Patriæ honorem, Vobiſcum circumferetis,
cujus ardetis amore.
Pergite, tantum gaudij ſangvini propinquo,
& Amicis reduces allaturi, quantum doloris
viam meditantes infligitis.
Interea, laureato honori, Capita Veſtra ſubmittite,
cui pridem Animos obtuliſtis;
Qui ut Vos Æternitati deſponſet;
annulum porrigit;
huic Vos pretium adijcitis, cùm animorum Veſtrorũ
Vnionem.
Locus hic; quem conſcenditis Majorum honorum
gradus eſt:
quorum certamen erit, ut Vos ſibi obligent.

Quoties fortuna aleam jaciet, laureatum Binionem
Vestrum monstrabit.
Vt sic Vniti adversam vincatis.
Devinxistis omnium animos,
nunc corda ducitis Vobis in triumphum,
quorum votum in Vestram felicitatem
inclinatur.
Cui ego meum
unio.



SUB FELICISSIMIS AUSPICIJS;
Magnifici Perillustris & Admodùm Reverendi Domini,
D. M. MARTINI OSLINSKI,
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS & PROFESSORIS,
Collegæ Majoris, Ecclesiæ Collegiatæ Sãctæ ANNÆ DECANI, Prossovicensis PRÆPOSITI, Zielonecensis CURATI, Contubernij Hierosolymitani & Classium Novodvorscianarum PROVISORIS, Universitatis Cracoviensis Generalis ac Vigilantissimi
RECTORIS.

